

.xvi. OMELIA IN SEPTUAGESIMA .

/29r/ INquirendum est fratres karissimi . et subtiliter discutiendo inuestigandum . quid mysterii continetur in officiis . quæ scripta sunt in antiphonario et misali libello . Ardor enim caritas in nobis adest . Licet non plene ualeamus ad exponendum huius rei contrite et propter antiqui tamen abclite intellectus ut omnes christianę religionis fideles sciant et intelligant . Quid considerabant in cordibus suis et significabant . primi dictatores officiorum nostrorum secundum mysticum sensum . Primum igitur perscrutandum est de septuagesima in qua desinimus cantare alleluia . et dulcissimum ymnum angelorum . Gloria in excelsis deo . utrum antiquitus prefigurata est apud ueteres et si fuit . quam imaginem habet figuraliter in nostra conuersatione . [ii.] Septuagesima itaque computatur secundum titulationem sacramentorii et antiphonarii non est ebdomadibus ante pascha domini . et sinitur post pascha domini in septima sabbati . Die enim dominica habet initium et finem sabbati . Hoc quidem tempus captiuitatis populi dei significat . qui peccando et superbiendo alienatus recessit a deo . quia populus dei olim pro peccatis suis de hierusalem in babilonia ductus est in captiuitate . Et ibi detentus¹ est captiuus per septuaginta annos . Quo numero completo humiliando ieiunando orando . per dei misericordiam reuersus est in hierusalem . De quo populo dixit hieremias propheta . Considerate et querite in plateis eius . an inueniatis uirum cupientem² facere uerum iudicium et quaerentem fidem . et miserebitur ei deus . Quod si dixerint est quidem . et hoc falso dixerint . Domine oculi tui fidem illorum uident . Et iterum dicit . Indu

/29v/rauerunt facies suas dura ceruice . et noluerunt ad te reuesti . [.iii.] Sed tamen uide domine quia pauperes sunt et stulti ignorantes uiam domini . iudicium dei sui . sed igitur ibo ad optimates eorum et loquar eis . Ipsi enim cognouerunt uiam domini . iudicium dei sui . et iterum annuntiat dicens . Ecce domine hi magis confregerunt iugum domini sui . ruperunt uincula simul . Omnis enim frater supplantans supplantat fratrem suum . et omnis amicus fraudulenter ambulat . Et omnis uir fratrem suum deridet . et ueritatem non loquitur . Et haec contra . dicit dominus . Eice ergo illos a facie mea et egrediantur³ . [.iiii.] Quod si dixerint ad te . quo egrediemur? dices ad eos . Haec dicit dominus . qui ad mortem dignatus est eat ad mortem . et qui ad gladium ad gladium . et qui ad famem ad famem . et qui ad captiuitatem ad captiuitatem . Qua autem causa fratres karissimi haec eis aguntur . reuelat isaias propheta dicens . Uae uobis qui consurgitis . mane ad aebrietatem sectandam et ad potandum usque ad uesperum . ut uino aestuetis . Cythara et lira et tymphanum et tibiae et uinum . sunt in conuiuuiis uestris et opus domini non respicitis . nec opera manuum eius consideratis . Propter haec quidem captiuus ductus est populus dei in babilonia . et ibi detentus est in captiuitate septuaginta annis . Quomodo autem in captiuitate fuerunt hieremias manifestat dicens . [.v.] Auferam a uobis uocem gaudii et exultationis . uocem sponsi et uocem sponsae . Uocem molae et lumen lucernae . et erit terra uestra in solitudine et in stupore . et uos ser

/30r/uietis regi babilonis septuaginta annis . Cumque impleti fuerint septuaginta anni uisitabit dominus super regem babilonis . et uos liberabimini ab eius captiuitate . Uoluit

igitur dictator septuagesimę annos septuagessima
nobis mutare in septuaginta diebus . Ut ieiunemus
in eis pro peccatis nostris . quia sciebat in aliquibus cri-
minibus nos communicare id est participari priori po-
pulo . Quod igitur illi inuiti sustinuerunt quia serui
erant . nos uoluntarię fratres karissimi pro peccatis nostris susti-
neamus quia liberi sumus . O mittamus cum eis uocem
gaudii et lætitię uocem sponsi et sponsę et reliqua . Sep-
tuagesimus itaque numerus omne tempus seculi prę-
sentis ad memoriam nobis reducit . quo alieni sumus
ab hierusalem caelesti . [.vi.⁴] Et ideo auctor officii nostri
septuagesimam posuit . in nostris officiis ; Ut in illo tempore
a diliciis huius mundi abstinentes . Ostenderemus
in nostra conuersione qualiter per omne tempus seculi presentis
uiuere debeamus ; Et quia post baptismum peccatis nostris
alienamur a cęlesti . hierusalem . agamus dies .lxx. in uera
poenitentia ut captiuus populus peregit annos septua-
ginta in peregrinatione . et luctus poenitentię conuer-
tatur nobis simul in gaudium in resurrectione domini .
per quam reuertimur ad hierusalem utique caelestem . Sic
tamen fiat ut per sex dies sequentes a die paschę usque
ad sabbatum uenturum . Non ligemur ab aliqua cu-
piditate malitię . sed ita perambulemus iter . Ut ul-
tima die ueniente intremus cęlestem .
Ubi est uisio pacis et claritatis aeterne sine fine manentis .
/30v/ Manifestat iterum idem propheta hieremias uelle dominum nos
cessare a uoce gaudii . Quandiu in babilone id est in confu-
sione peccatorum fuerimus dicens . et cessare faciam a uobis
uocem gaudii et exultationis . Quapropter alleluia in illo
tempore non canitur apud nos . et dulcissimus ymnus ange-
lorum . Gloria in excelsis deo . sed tractus pro alleluia dicitur . qu'í'a

trahendo dictus est . Eo quod suavis est auribus populi . quem
intimauit apostolus paulus dicens . In longanimitate . in
castitate . in suauitate . in spiritu sancto . Igitur alleluia et gloria
in excelsis deo . certissime cantica cælestia sunt . Vnde iohan
nes in apocalipsyn dicit . Post haec audiui quasi uocem
magnam turbarum multarum in caelo dicentium alleluia .
De gloria in excelsis deo nulli dubium quod angelorum cantus sit .
Idcirco autem alleluia non canitur apud nos a presenti die usque
in noctem paschē . Propter honorem et latitudinem primae
linguē . quia alle . ebraice . patrem . lv . filium . ia . spiritum sanctum .
significat . Quod latine interpretatur laus dei . [.viii.⁵] Et ideo pau
perem linguam in supra dictis diebus frequētamus dicen
tes . Laus tibi domine rex aeternē glorie . quia ad comparationem linguē
ebraicē tam grecis quam latinus sermo pauper est . Quapro
pter iterum desiderantes audire alleluia . debemus commen
dare dicentes . Reuertere in thesauros tuos te benedicant
angeli . sed mane apud nos hodie . et crastina proficisceris . et
dum ortus fuerit dies ambulabis uia tua . et iterum deside
rantes reuerti ad nos dicamus . Multiplicentur a domino
anni tui alleluia . per uiam sapientie incedas . et per semitam
iustitiē reuertaris ad nos . quia tu sola namque tenes princi
patum in conspectu domini . propterea reuertere in thesauros tuos .
/31r/ [.viii.⁶] Angelus autem domini bonus comitetur tecum . et bene disponat iti
nere tuo . Ut iterum cum gaudio reuertaris ad nos . quia melius es
quam diuitiē multē . super aurum et argentum gratia melior es . Et ideo
consoleris no` s´ in hac uita presenti et in regni caelestis mansio
nibus . sunt quoque quidam qui primam ebdomadam septua
gesimæ sine aliquo articulo id est sine ullo opere nouellē
conuersione ducunt . Excepto mutatione alleluia . et in
aliquibus locis dalmaticarum . et intermissione . Gloria in ex
celsis deo . Si id autem usquequaque ita obseruatur modo sicuti

aliquando uidi nescio . Sed tamen nobis sic uidetur uelle
praeceptorem officii tempus septuagesimę . tempus esse luctus
et poenitentię . Et propterea eum dixisse . Circumdederunt
me gemitus mortis . dolores inferni circumdederunt me .
et in tribulatione mea inuocaui dominum . et exaudiuit de
templo sancto suo uocem meam . et iterum . Adiutor in oportu
nitatibus in tribulatione . sperent in te qui nouerunt te
quoniam non derelinquis quęrentes te domine . Quoniam non in finem
obliuio erit pauperis . patientia pauperum non peribit in ęter
num . Agustinus in nono psalmo tractat dicens . Non
enim bene conuertitur anima ad deum . Nisi prius ab hęc seculo
plenus auertatur . nec ulla re ab hoc seculo oportunius auer
titur . nisi miscendo labores et dolores perniciosas humanę
mentis uoluptatibus . quia ubi est labor et dolor . ibi ieiunium
saltim amicitię huius mundi . et ubi ieiunium . ibi compassio
captiui populi reputabitur . et si compatimur id est ut ieiunio
et fletu et planctu . conregnare et cohabitare cum eis merebi
mur in regno . Dicente domino . Uenite ad me omnes qui laboratis
et honerati estis et ego reficiam uos . et inuenietis requiem animabus uestris ;
/31v/ Haec nobis prestare dignetur idem saluator . cui est honor
et imperium et potestas una cum patre et spiritu sancto . per infinita
secula seculorum amen .

¹ detendus] *corr. by a later hand to detentus*

² cupientem] *corr. from cupientum*

³ egrediantur] *corr. from egredietur*

⁴ The lection number in the right-hand margin is trimmed so that only the single digit *v* is visible, but this is properly lectio .vi.

⁵ .viii.] *recte .vii.*

⁶ The lection number is cut off at the right edge of the page, and all that is visible are two minims after the *v* and the trace of a third, but this is properly lectio .viii.